kat.komp.
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
40883
I
Mag. St. Dr.

40883

I

HEBDOMAS SANCTA PII SACERDOTIS:

Sive

XXXVI perquam nervoſæ
MEDITATIONES
Sacerdotum, & non Sacerdotum, octiduanæ Recollectioni, imò & Menſtruo uſui, ad profectum Spiritualem mirè conducentes.

Item, pro commoditate
SACERDOTUM.
ACCESSUS, & RECESSUS
ALTARIS:
Ac denique
Deliciæ Euchariſticæ

PINSCI
Typis Col: S. J. 1729.

Sacerdo-
tes Domi-
ni incēsū,
& Panes
Deo offe-
rūt;* & ideo
ſancti erūt
DEO ſuo.

Levit 21.

40 883-I

Ad Sacerdotes Præfatio.

VErbum ad te, mi Sacerdos Chriſtophile, aut ſi mavis, Chriſtophore -! Verbum ad te, qui toties atd trectas Diviniſſimum illu, Verbum, & quinque verbis de Pane, Verbi Carnem efficis Verbum! adte & quod illud Verbum? Ut manum ſubinde ſubtrahas de tabula, pedem detrahas à publicis, tecúmque tantiſper habites; & nunc ores, nunc legas, nunc mediteris: ſed non niſi de lege Domini, in abſcondito clauſi cubiculi, ſeu cordis angulo. Et

nè desit reformari volenti meditandi materia, en tibi depromptam è sacris paginis, & SS. PP. placitis piarum Meditationum hebdomadem, non sublimibus humanæ sapientiæ verbis, sed à Spiritu S. dictatis Cœlestis Theologiæ sententiis concinnatam. Accipe eam, eo, quo datur, animo; id est, filiali, fraterno, vel etiam Paterno. Fruere, vale, & vive, sed sic, ut vivas DEO, ad Amar non immemor ejus, qui fuit, est, & erit.

TOTUS TUUS.

HEBDO-

HEBDOMADÆ SANCTÆ

Dies I.

Finis vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.

Ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Joan: 15.

MEDITATIO I.

Ego elegi vos.

P*Unctũ* I. Elegit te Sacerdos Chriſtophile, elegit te Deꝰ, nullis tuis prævisis meritis; elegit te, forſan & tuis demeritis ſine nũero, ab æterno præviſis, elegit te, ex amore gratuito; elegit ex tot millibus; in infini-

tum, si potest, te melioribus; elegit te futurum Saulem, obstreperum, rebellem, inobedientem, alio relicto Davide meliori te 1. *Reg*: 15. *Quid retribues?*

Punctum II. Elegit te Deus, à te non rogatus, tum, cùm rogare non posses, imò si potuisses, fortè præ malitia noluisses, aut præ ignavia rogare tæduisset. *Quid retribues?* quid pro illa misericordia, quâ te sic indignum respexit; non quia tu dignus, sed quia mitis erat?

Punctum III. Elegit te Deus, de mille periculis mundi hujus, ut esses unus de electis ejus. *O A-*

O Amor? & tu illum non eligis? ô ingratitudo! cœcitas! non illum eligis, ut unicum, ſummum, infinitũ bonum tuum? non eligis, non amplecteris, ut ultimũ finem tuum? non eligis, nõ diligis ſic te diligentem DEVM tuum?

Propoſitum practicum *Sincera intentio DEO in omnibus, & per omnia ſerviendi ex puro amore.*

MEDITATIO II.

Ut eatis.

Punct I. Vt eatis de virtute in virtutem? quia pere-

regrini ſumus: peregrinus ſi ſtet, nec progrediatur, regreditur, teſte Bernardo.

Punct II. Vt eatis, memores, in quibus periculis, quæ nos undique circumdant; memores, coram quo? coram Judice, coram DEO, qui videt omnia; qui detonabit in reprobos horriſonum illud: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth: 25.

Punct: III. Vt eatis de hora in horam, de die in diem, de anno in annum, de tempore brevi in longam æternitatem, de vita ad mortem, vel potiùs de morte ad vitam ſempiternam.

Propo-

Propositum practicum

Utendi memoria præsẽtis DEI, mortis, æternitatis, ut stimulo ad ambulandum cautè, & progrediendum in virtute.

MEDITATIO III.

Et fructum afferatis.

Punct: I. Nemo non fructum quærit laboris, & sudoris sui; quærit illum miles, quærit mercator, quærit advocatus, & quis non? Quid verò tu Sacerdos Christophile, tu miles Christi, mercator cœli, advocatus animarum?

Punct: II. Fructum alii faciunt trigesimum, alii sexagesimum, alii centesimum, *Math:* 13. Manent aliqui

milites gregarii, alii mercatores tenues, alii advocati, sinè re, Nominales: quid tu Sacerdos in advocatura animæ, in mercatura cœli, in militia Christi? æmulare charismata meliora. 1. *Cor*: 12.

Punct: *III*. Fructum afferunt in patientia, *Luc*: 8. miles in prælio, mercator in officina, nauta in pelago, venator in nemore, piscator in flumine. Quid tu Sacerdos, an fructum quæris in patientia? an semper ùt piscator hamum, ùt venator retia tendis? an vigiles flectis oculos in omnem plagam tibi subjectam, sicubi deprehendas pauperem, sed in conspectu DEI pretiosam,

ſam, Chriſti ſangvine redemptam, gratiæ, & gloriæ, capacem animam?

Propoſitum practicum: *Laborandi, tametſi fructus labori non reſpondeat.*

MEDITATIO IV.

Et fructus veſter maneat.

Punct: I. Non manet voluptas; temporalis eſt, & momentanea, in ictu oculi diſſipatur; non manet hominum exiſtimatio, fumus eſt, uno ſpiritu difflatur; non manent divitiæ, ſunt terræ pugillus, qui quàm difficilè paritur, tam facilè perditur, ergo terra caduca vale.

Punct: II. *Quid verò mihi eſt in cœlo? Pſal:* 72. Quàm ſtabilis, certus, perpetuus

ille fructus, qui te diligentes manet, & manebit æternùm, DEVS cordis mei? & à te, quid volui: aut velle potui super terram? quid: nisi fumum? nisi bullam? nisi terræ pugillum?

Punct: III. Non aliam ergo mercedem laboris, non alium industriæ fructū quære Sacerdos, nisi Dominum, qui est *pars hæreditatis tuæ, & calicis tui. Psal:* 5.

Propositum practicum: *Fuga vanæ gloriæ, studiū Divinæ, cujꝰ gratiâ creati sumꝰ.*

HEB-

HEBDOMADÆ.
SANCTÆ:
Dies II.

Beneficium Vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.

Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te; dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Pſal: 15.

MEDITATIO I.
Dignitas vocantis.

Punct: I. DEVS eſt, ô Sacerdos, vide, quem Dominũ nactus: cui Domino ſervias? DEVS eſt, non eſt homo, non Angelus, non ulla creatura. DEVS eſt, cui homo, cui Angelꝰ, cui ſervit omnis

cre-

creatura Deus eſt, dives in omnes; quantum fas eſt, alacritate, huic Dõino ſervias?

Punct. II. Non eges, quia tu ſolus Deus, ſolus unicum, & omne bonum; ſolus, & unicus, omnis cauſa, radix, origo boni, ſolus, extra quem nullum bonum, in quo omne bonũ, honeſtum utile, delectabile; ſolus, æternum, immenſum, infinitum bonum; ſolus tibi ab æterno ſufficientiſſimus, nullius indigus, &c.

Punct. III. Non eges miniſterio meo, quia omnia ſerviunt tibi; non eges miniſterio ullius hominis: quia Angeli ſerviunt tibi; non eges miniſterio ullius creaturæ,

turæ, quia Creator omnium. Quid ergo respicis ad me, dicat humilis Sacerdos, ad me, *pauperculum, & trementem sermones tuos!* Isa: 6.

Propositum practicum.

Immolandi quotidie DEO sacrificium laudis: pro beneficio vocationis.

MEDITATIO II.

Indignitas vocati.

Punct: I. Ille DEVS, DOminus: Creator, nullius egens: tu servus, servus inutilis, mendicus, pauper, pulex vivus, canis mortuus; pulvis, cinis, purum nihil, & ad te respicit magnus ille DEVS!

Punct: II. Ad te! qui omnibus indiges, & cui omne non suf-

ſufficit, niſi DEVS: ad te, qui terrâ indiges, in qua ambules; âëre, per quẽ reſpires; igne, qui te foveat; ſole, qui te illuminet; cibo, qui te reficiat; veſte, quæ te tegat; DEO, qui te ſatiet. Et tamen!

Punct: III. Te reſpicit ille, cui ſerviunt Angeli, & cum Angelis omnia? Et tu, quid cum his omnibus, pugillus terræ, terræ vermiculus? Tu quid cum Angelis, puriſſimis illis Spiritibus, qui terrenæ nil fæcis habẽt, qui nutum DEI accipiunt pro imperio? ah! non es Angelus, mi ſacerdos, ſæpe nec homo es, ut jumentum factus inſipiens. Et tamen ad te

reſpi-

respicit DEVS, ut vocet ministrum suum! ô dignatio!
Propositum practicum: *Iteratum ad DEUM suspirium cum Davide Conserva me Domine; & cum Thoma Kempensi: Adjuva me Domine in sancto proposito meo, & Divino servitio tuo!*

MEDITATIO III.
Altitudo ministerii.

Punct: I. Hæc colligitur I. ex potestate Ordinis: dicitur enim Sacerdoti ordinando: *accipe potestatem conficiendi*, non cœlum, non terram, non quidquid pretiosum, & artificiosum est; sed, *Corpus*, & *Sanguinem D. N. J. C.* amplius dici nõ potest, Potestas hæc regiam,
Ange-

Angelicam, maternam Beatissimæ virginis longê superat: huic enim dictum est: *Perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*; at verò Sacerdos ipse conficit corpus Domini sui; quid sublimius?

Punct: *II*. Colligitur eadem sublimitas, ex potestate jurisdictionis, per quam Sacerdos cæli claviger est, & mundi totius judex, solvens & ligans super terram, quod solvendum, aut ligandum judicaverit *Joan*: 20.

Punct: *III*. Adde: quòd Sacerdos vocetur Angelus, *Malach*: 3. Sal terræ lux mũdi, lucerna supra candelabrũ, *Math*: 5. Pastor, Doctor, *Joan*:

Joan: 10. & 21. Diſpenſator myſteriorum Dei, Epiſcopꝰ, Pontifex, Præpoſitus. 1. *Cor:* 4. 1. *Tim.* 3. *Tit:* 1. *Hebr* 5. Vicarius ipſius Chriſti; ô mi DEVS, quid eſt homo, quia ſic magnificas eum? *Nimis honorificati ſunt amici tui.* Pſalm: 138.

Propoſitum practicum: *Utraque hac poteſtate utendi, non perfunctoriè, ſed cum omni ſolicitudine, humilitate, modeſtia corporis, & animi.*

MEDITATIO IV.

Ingratitudo Sacerdotis.

Cùm in honore eſſet, non intellexit. Pſal. 28.

Punct. I. Non intellexit altitudinem ſtatûs ſui: hinc ad ſordes, volutabra luti

ad

ad vomitum cum canibus & ſuibus, hoc eſt impuri hominibus, ſe abjicit.

Punct: II Non intellexi pretium poteſtatis ſibi cr ditæ, pretium Corporis ſ gvinis JesuChriſti:& hīc v adminiſtrare negligit,aut n niſi lucri tēporalis gratiâ,a ex acedioſa conſuetudine aut cum tædio adminiſtrat

Punct: III. Nō intellexi pretium jurisdictionis, qu peccatoribus cælum reſer re poteſt, vel claudere; indè tepor, & torpor in e cipiendis Pœnitentium con feſſionibus; ô mi Sacerdo ſi cognoviſſes & tu!

Proprſitum practicum: *Non negligendi gratiā, quæ*

e est; quæ data est tibi per impositionem manuum. 1. Tim: 4.

HEBDOMADÆ *SANCTÆ*:

Dies III.

Gravitas peccati Sacerdotalis, & alia ad illud consequentia

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Psalmo 54.

MEDITATIO I.

De peccato.

Punct: I. *Tu verò homo unanimis.* Psal. 54. Id est amice, dilecte mi, mi commensalis, qui mecum dulces capiebas cibos ;tu velut alter Judas, post bucce llam pretio-

tiosi corporis, intinctam in
immaculato sanguine meo
tu reserasti cor tuum Sath
næ, clausisti DEO! ô per
diam!

Punct. II. An nõ merit
queritur per Jeremiam D
minus: *Quid est, quod Di*
ctus meus in domo meâ fe
scelera multa? Jer: 11. In d
mo mea, in Ecclesia, in a
tari, in loco sancto, in lo
virtutum, in gymnasio am
ris, &c.

Punct: III. Fecit sceler
multa. Tu nosti, quæ,
quanta deferas ad altare, v
auferas, ad tribunal p
tentium, ad horas canonic
Tu nôsti, necdum erubesc
Exod 3. Jubetur Moyses Pr
phe-

pheta ſanctus exuere calcea-
menta de pedibus, priuſquã
montem aſcendat, viſurus,
vel auditurus Dominum; tu
ſcenſurus montem, ut tan-
tas Dominũ, non exues pri-
us peccata per doloriferam,
ſi potes, confeſſionem?

Propoſitum practicum:
*Puritas conſcientiæ ante admi-
niſtrationem Sacramentorum.*

MEDITATIO II.

De morte.

Punct: I. In hoc naturæ
tributo, *erit ſicut populus, ſic
& Sacerdos.* Iſa: 24. *Statutũ
eſt.* Hebr: 9. ſtatutum omni-
bus, excepto nemine; ſicut
populus, ſic & Rex, & Pon-
tifex, & Sacerdos; imò &
hæc omnia mortẽ aggravãt.
Time! *Punct:*

Punct II Statutum est se
mel mori: ah' semel tantùm
ergo si semel, semper mise
rè. Sic semper vive, ut se
mel moriâre bene.

Punct. III. Bene moritu
pius, sanctus, zelosus Sace
dos, memor præstiti Christ
â se obsequii, qui dicĕre po
sit cum Jobo: *Credo, qu*
Redemptor meus vivit, que
toties fide viva, mente p
ra, corde perfecto contrect
vi. Malè moritur Sacerd
malus, memor impuris m
nibus, impudicâ linguâ, i
pio corde eum se suscepi
pastorem suum, quem pa
lò pòst visurus sit Judice
& quo vultu? *ô mors! qu*
amara talibus est *memo*
tua? Eccli: 41. Pro-

Propoſitum practicum.

Sic vivendi, ut optabimus mori.

MEDITATIO III.

De judicio.

Punct. I. Exiguo facilè conceditur miſericordia; duriſſimum verò judicium his, qui præſunt, fiet. Sap: 6. Audi hoc, qui conſtitutus es à Chriſto Judex, Sacerdos Chriſtophile! audis? nec times?

Punct: II. Ibi judicabuntur omnes juſtitiæ tuæ. Pſal: 74. id eſt orationes, Sacrificia, Sacramentorum adminiſtratio, ægrorum cura, & viſitatio, exhortatio, &c. quo zelo ſolicitudine, opportunitate ſint exercitæ, an culpâ tuâ intermiſſæ!

Punct. III. Et scito, quia pro omnibus his, adducet te DEUS in judicium. Eccle: 11. Pro omnibus, quæ accepisti, talentis: quæ possedisti, bonis: quibus fruities, privilegiis; *Cui enim multum datum est, multum quæretur ab eo.* Luc: 12. Noverat id optimus Magister morum Joannes Avila, qui de juvene Sacerdote mortuo post primitias: *sat habet* inquit, *in quo judicetur.* Sat ille, mi Sacerdos? quantum ergo tu, qui toties sacrificas, utinam sanctè, religiosè, & modestè, &c.

Propositum practicum: *Judicandi te ipsum, & discernendi causam tuam per examen*

men conſcientiæ, antequam Divina obeas myſteria.

MEDITATIO IV.

De luctuoſiſſimo Statu Sacerdotum damnatorum.

Punct: I. *Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccavimus!* Thren. 5. Sic ejulabunt, ſed ſerò, miſeri apud inferos, Sacerdotes: quia cùm in honore eſſent, non intellexerunt. Exaggerari hoc poteſt conſideratione Sacerdotis degradati, & execrati, quod omnino tragicum eſt, ſed umbratile ad Sacerdotem damnatum.

Punct: II. Potentes potenter tormenta patientur. Sap: 6. Applica Sacerdoti poteſtate ſua, quã habet, maxima abutẽti, & time.

Punct: III. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum.* Apoc: 18. Delicias Regum habent quotidie Sacerdotes in menſa Domini; væ! ſi præ his ſiliquas porcorum, id eſt, carnis voluptates ament, & quærant! væ! ſi nauſeet eorum anima, ùt olim Iſraelitarum, ſuper cibo iſto, ùt ipſi judicabant, leviſſimo! *Num:* 21. Erunt enim tunc hæ deliciæ, à Sacerdotibus ſpretæ inſtrumenta tormentorum.

Propoſitum practicum.

Timida, cauta, circumſpecta converſatio.

HEB-

HEBDOMADÆ *SANCTÆ.*

Dies VI.

Fervor, & Zelus Sacerdotalis.

Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Pſal: 103.

MEDITATIO I.

De præmio ferventibus propoſito.

Punct: I. *Ubi ego ſum, illic & Miniſter meus erit.* Joan. 12. At ubi eſt Sacerdos ille magnus, ille fervens animarum Paſtor, ille indefeſſus venator? ubi eſt? non jam ampliùs in cruce, non ſub cruce, non in horto,

non in itineribus, montibus, vallibus, & fatigatus ſitibundus, famelicus, ſe in gloria Patris, ibi, ubi omnia hæc mala exulant, omnia affluunt bona.

Punct: *II.* Ibi, ubi jucundiſſima, pacifica, fraterna ſocietas ſinè invidia, ſinè rixa, ſine tædio.

Punct. *III.* Ibi, ubi videbitur DEus Deorũ in Siõ. *Tūc videbis*, ô pie Sacerdos, *& affl ues*, *& mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Iſa. 60.

Propoſitum practicum: *Cooperandi invicem ſinè invidia, cum fervore in exercitiis Sacerdoti propriis.*

MEDITATIO II.

De labore, cui reſpondet præmium.

Tu

Tu verò vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple: 2. Tim: 4.

Punct. I. Vigila, id eſt in omnibus exercitiis vigil, alacer excitatus eſto. Vigila; quia advigilat, & obſervat DEVS remunerator tuus, Chriſtus ſummus Sacerdos tuus. Vigila in omnibus viis tuis: quia advigilat, & circuit Sathan *ut leo, quærens, quem devoret.* 1. Pet: 5.

Punct: II. Labora; nunquam otiari debet Sacerdos, niſi eligat labi. Labora, id eſt: in omnibus conatum adhibe, nihil agas remiſsè, memor, cui labores. Labora, quomodo laborat extenſis bra-

brachiis Moyses, quomodo luctans cum Angelo Jacob, quomodo sudans in horto Christus, quomodo sacrificans Ignatius totus igneus.

Punct: III. Ministerium imple, id est: fac perfectè cum omnibus circumstantiis, & conditionibus, nihil minue, nihil detrahe: *DEI enim perfecta sunt opera.* Deu: 32.

Propositum practicum:

Pro DEI gloria, & animarum salute non recusandi laborem NN: in particulari.

MEDITATIO III.

De fervore in orando.

Orationi instate vigilantes. ad Colos: 4. 2.

Punct.

Punct: I. Spectat hæc cohortatio Pauli præcipuè Sacerdotem; quia legatus eſt, advocatus, orator, Syndicus totius generis humani; & quod Chriſtus eſt pro hominibus in cælo apud Patrem, hoc eſt Sacerdos apud Chriſtum pro iisdem in terris. *Ex hominibus enim aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.* Hebr. 5. Sicut ergo Chriſtus gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellat, ſic debet & Sacerdos.

Punct: II. Sacerdos Angelorum officium gerit in terris. Malach. 2. *Angelus Domini exarcituum eſt:* nemo autem neſcit, quid fa-

ciant in cælis Angeli; assiduè circa DEUM intelligendum, amandum, laudandum, occupantur. Faciat hoc idem quantùm potest, Sacerdos in terris.

Punct: *III.* Est enim oratio fervens indicium bonæ vitæ, quod monet *S. August. Hom:* 4. *ex* 50. Ille novit rectè vivere, qui novit rectè orare.

Propositum practicum: *Horas Canicas, ùt jubet Conc: Lateran: sub Innoc III. studiosè quoad officium oris, & de vote, quoad officium cordis recitandi.*

MEDITATIO IV.

De fervore in Sacrificio Missæ.

Be-

Benedicite Sacerdotes Domini Domino. Dan. 3.

Punct. I. Pontifex Magnus semel annuè ingrediebatur in sancta Sanctorum, & quanto cum apparatu? Figura fuit ille, quid faciat veritas? ille semel; Sacerdos, si vult, quotidie.

Punct. II. Semel Filius DEI factus est homo, & quanta præparatio ab æterno? *In capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam.* Psalm. 39. Quot prævia Prophetarum oracula, Angelorum vota, Patriarcharum desideria? quot præcessere præludia? mittitur Angelus, obumbrat Spiritus Sanctus, no-

vem mensibus gestatur in u
tero: & tu quid facis Sacer
dos Christophile?

Punct: *III.* S. Chrysosto
vult omnes vniversim Chri
stianos à sacra Synaxi rever
ti quasi leones ignem spi
rantes; vult interesse Missæ
ùt in medio Angelorum
choro: quid non exigat
dos Sacerdote?

Propositum Practicum:

Orationes Ecclesiæ præparato
rias ad Missam, & post
eam; omni devotio-
ne recitandi.

HEB-

HEBDOMADÆ SANCTÆ:

Dies V.

Perfectio Sacerdoti propria.

Sacerdotes tui induantur Justitiam. Psal. 131.

MEDITATIO I.

Motiva perfectionis.

Punct. I. Debet Sacerdos tendere ad perfectionem vitæ, quia vult DEVS. Si enim de omnibus Christianis verum est illud Pauli 1. Thess. 4. *Hæc est enim voluntas DEI sanctificatio vestra,* & illud Christi Math. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester.* Et iterum, Apostolus

lus omnes Christianos Sa
ctos vocat. 2. *Cor* 1. *Eph:*
Phil: 4. quantò magis h
competit Sacerdoti, è re
quis selecto, & in sorte
Domini vocato?

Punct: *II.* Multum datu
est Sacerdoti. *Multum* erg
quæretur ab eo. Luc:
Cùm enim augentur dona, in
quit Greg: Ho: 9. in Evang
rationes etiam crescunt dona
rum.

Punct: *III.* Exigit plus
Sacerdote tum illius status
ad alios sanctificandos desti
natus, tum officium, quod
gerit, *Angelicis humeris*, ut
ajunt SS. *formidandum.*

Propositum practicum:
Sic vivendi inter homines, *u*

ex-

exemplo non destruas, quod ædificas verbo.

MEDITATIO II.

Idea perfectionis.

Qui mihi ministrat, me sequatur. Joan: 12.

Punct: I. Imaginem DEI per peccatum turpiter fœdatam, & quasi erasam, ut DEI Filius ablueret, & instauraret, factus est homo: abluit suo sanguine, instauravit exemplô, & doctrinâ. Hoc ille, quid tu Sacerdos?

Punctum II. Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri, inquit Ambr: L. 2. de Virg: Hinc tyrones optimum in qualibet arte Magistrum quærunt, quem imitentur & imitando proficiant,

ciant, & perficiantur. Non est nobilior magister Christô dilectô Filiô, *in quo bene complacuit æterno Patri*. Matth: 16. Ipse ergo audiendus, & imitandus est, & imprimis à Sacerdote.

Punct: *III*. Si enim omnis Christianus cum S. Gregrio dicat: *Omnis Christi actio, nostra est instructio*; quanto magis Sacerdos, cui in Apostolis ejus præcessoribus ipse Christus dicit, Matth. 23. *Magister vester unus est Christus*.

Propositum practicum:

Summo studio, quod monet Thomas à Kempis l. 1. de imit. c. 1. in vita JESU Christi meditandi.

ME-

MEDITATIO III.

Vita Christi, regula Sacerdotis. Induimini Dominum nostrum JESUM Christum. Rom: 13.

Punct: I. Sacerdos, sicut induit vestes Christi in Sacrificio, itâ decet in hoc & extra illud induere vitam, id est mores, & virtutes Jesu Christi, ùt juxta Apostolum 2. *Cor:* 4. in ejus carne mortali, vita Christi manifestetur, verèquè dicat: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ad Gal. 2.

Punct: II. Causa verò, cur Sacerdotes passim non exprimant vitam Christi, hæc est: quòd secuti regulam alienam carnis, mundi, peccati, sen-

sus

ſus, ſermones, & actus no dirigant *ſecundùm menſura illius regulæ, quam menſus e illis DEUS.* 2. Cor. 10. deflectentes, ùt mali tyrones, propoſito ſibi prototypo.

Punct: III. Regula Chriſti, prima fronte amara, uſu dulceſcit; eſt enī *jugū ſuave, & onus leve.* Math. 11. *Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia* Ad Gal. 6.

Propoſitum practicum: *Exemplo S Caroli Borromæi, quotidie legendi unum caput è ſancto Evangelio, quod ille faciebat flexo genu, deiecto capite.*

ME-

MEDITATIO IV.

Perfecta adminiſtratio Sacramentorum.

Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* 1. ad Cor. 4.

Punct I. Diſpenſator fidelis in genere eſt, qui non mittit margaritas ante porcos, nec *dat ſanctum canibus.* Matth. 7. Qui videt *Miniſterium, quod Accepit à Domino, ut illud impleat.* Coloſſ. 4. Qui non eſt ſimilis aquæ baptiſmali, peccata babtizatorum diluenti, eoſque mittenti ad cœlum, cùm ipſa pòſt in cloacam deſcendat, Greg: Hom:de cura Paſt. *P.*

Punctum II. Dispensat
fidelis Eucharistiæ is est, q
linea vasa, tabernacula, D
minici corporis receptacu
religiosè custodit, qui
sumptionē Eucharistiæ p
vulos capaces erudit, & pr
parat, adultos rudes instr
it, obliviosos commonef
cit, tardos compellit, ind
gnos repellit, nemine
negligit.

Punct: III. Dispensat
fidelis pœnitentiæ est is, q
promptè sedet pro tribun
li, dum reus adest, paup
juxta ac dives; qui exam
nat, ponderat, judicat e
æquo, qui non absolvit n
si dispositum; qui non d

mit-

mittit, nisi consiliô, vel co-
hortatione sua meliorem.
Propositum practicum:
Reflectẽdi practicè ad hæc tria.

HEBDOMADÆ SANCTÆ:
Dies VI.
Virtutes internæ Sacerdotis.
Decet nos (Sacerdotes) *implere omnem justitiam.* Matth: 3.

MEDITATIO III.
De humilitate.
Discite à me, quia mitis sũ, & humilis corde. Matt: 11.

Punct: I. Disce Sacerdos Christophile, disce â Christo Sacerdote magno, imò ma-

maximo, ſed in Euchariſt... minimo quam te docet, n... tam verbo quàm opere, ... cathedra vilium ſpecierum ... virtutem profundiſſimæ h... militatis, & erubeſce ... tuã intolerabilẽ arrogãtia...

Punct: II. Vilis hic illi hab... tatio, in ſordidis ſæpe tabe... naculis, inter digitos impu... Sacerdotis, in corde ſubdit... peccatis, cui cœlũ ſedes eſt...

Punct: III. Pauper illi ... mictus, nullus comitatus ... & hinc ſannis, & probri... hæreticorum exponitur.

O JESV! quis ſenſus mi... hi ſit hæc cogitanti, & in... ter pollutos digitos meos ... in otioſa, detractoria, ma... ledica lingua, impuro cor... de,

e, in cloaca ſordium, in entina ſcelerum, te con-emplanti?

O' mi magne DEus, da enſum aliquem ſimilis hu-nilitatis: da: ut, cujus Ma-eſtatem non poſſum aſſe-ui, ſaltem imitari ſtudeam umilitatem;

Da mihi teneros hujus vir-tis affectus, quoties di-o celebraturus! *Confiteor* DEO, quoties ingemino: *Domine non ſum dignus. No-is quoque peccatoribus! Mea ulpa!*

Da: ut non minùs corde, uàm corpore me profundè bjiciam coram te, ut magna, ed humilis Mater tua; ma-nus, ſed in oculis ſuis par-

vus

vus Joannes præcurſor tu

Propoſitum practicum:
Fiat! fiat! ô JESU! fiat! A

MEDITATIO II

De manſuetudine.

Fratres, etſi præoccupa fuerit homo in aliquo delict vos, qui ſpirituales eſtis, jusmodi inſtruite in ſpiritu nitatis, conſiderans te ipſum &c. Ad Gal: 6.

Punct: I. Chriſtus tot mitis in vultu, verbo, o re. Ex oculis elucent ſ ves benignitatis radii; ex ore dulcis ſpirat lenita favonius; in toto corp agnus eſt, præſertim in charistia; quid tu ſacerd

Punct II. Et tamen hu agnum toties attrectas, t

es

es illo veſceris, cum hoc agno habitas, prandes, cœnas, ambulas, dormis; quid ni agnum tandem induis, manes uſque modò, *ſicut leo in domo tua?* Eccli. 4.

Punct: III. Pretioſior debet hæc virtus eſſe Sacerdoti, quàm ut verbo vel ſigno venalem habeat, nil lucraturus, poſtquàm eam perdiderit, niſi animi inquietudinem, & DEI vindictam.

Propoſitum practicum:

Petendi à Chriſto augmentum hujus virtutis, dum dicis:

Ecce Agnus DEI.

MEDITATIO III.

De obedientia.

Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Pſal: 120.

Punct: I. DEVS singulariter amat obedientiam, quam coronavit in Abrahamo, punivit verò tot jam sæculis in Adamo, & posteris ejus, unius hominis inobedientiam: placere vis DEO? obedi. *Melior est enim obedientia, quàm victimæ.* 1. Reg. 15.

Punct: II. Volens placet DEO. DEI Filius ab æterno, voluit in tempore obedire: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus volui.* Psal: 39 *Ità Pater.* Math. 11. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus.* Joa: 4. *Erat subditus illis.* Luc: 2 Deus, Dominus, Creator; hominibus, servis, creaturis, admirare. imitare!

Punct: *III.* Obedientiam hanc maximè patefacit in Ven. Euchariſtia, quando vocatus à Sacerdote adeſt toties, *obediente DEO voci hominis*. Joſ: 10. O prodigium! DEUS obedit homini, & tu homo non obedis Deo? DEO, cujus Miniſter es?

Propoſitum practicum: *Obediendi ſimpliciter, ſine contradictione, promptè ſine dilatione; alacriter ſine querela; perſeveranter ſine tædio.*

MEDITATIO IV.

De caſtitate.

Lavamini, mundi eſtote. Iſ: 1. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini* *Iſa.* 52.

Punct: *I.* Exigit hanc mũditi-

ditiem cordis & corporis à Sacerdote Chriſtus: quia ipſe Virgo, natus de Virgine, inter lilia, id eſt, Virgineas mentes paſcitur, & in niveo ſpecierum Euchariſticarũ throno requieſcit; quantus amator puritatis, tantꝰ oſor omnis immunditiei, præſertim in Miniſtris ſuis.

Punct: II. Hi enim officio Angeli ſunt, & Angelorum Dominum manibus ſuis cõtrectant; ô quâm puræ ſint oportet, hæ manus, hæc lingua, hoc cor, &c. Continebant ſe olim Sacerdotes legis antiquæ tempore vicis quid non te deceat, Sacerdos Chriſtophore, dum non aſſiſtis, ſed fe.s Deum tuum

Punct:

Punct: III. Munditiem clamant plerique ritus, quos adhibes in Sacrificio 1. alba, quâ indueris, eâque ex lino non lana, cujus radix caro est animalium. 2. Cingulum, quo cingerjs cum apta oratione. 3. Lotio manuum. 4. Priùs quàm legas Euangelium, oratio: *Munda cor meum*, &c. & si hoc requiritur ad dignam Euangelii lectionem, quid non ad Dominici corporis consecrationem, & contrectationem?

Propositum practicum.

Cohibendi sensus externos, ut in animo sis continens.

HEBDOMADÆ *SANCTÆ:* Dies VII.

Virtutes externæ Sacerdotis. *Luceat lux veſtra coram hominibus.* Matth: 5.

MEDITATIO I.

De prudentia Sacerdotis in exterioribus.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Matth. 10.

Punct: I. Mittitur in medio luporum Sacerdos, quem innocentiâ vitæ oportet eſſe oviculam: ſed quo modo evadet? prudentia opus eſt, non hujus mundi, hæc enim ſtultitia eſt coram Deo; quia finem non reſpicit, adeóq; qui

qui hanc ſequuntur, turpiter cadunt.

Punct. II. Prudentia Chriſti eadem eſt cum providentia; oportet ergo Sacerdotem eſſe providum, cautum, circumſpectum; & ût inquit Michæas Propheta: *Solicitum ambulare cum Deo ſuo.* Mich. 6. vadit enim in medio luporum, & latronum, *theſaurum portans in vaſe fictili.* 2. Cor. 4.

Punct: III. Serpentes caput cuſtodiunt, aures ſepiunt, ſupra petram repunt, ità Sacerdos caput, hoc eſt principium agendorum cuſtodiat; & ad Deum referat: ſit ſurdus, dum blanditur caro; Petræ, hoc eſt Chriſto,

innitatur, ut non vacillet in proposito.

Propositum practicum: *Quidquid agas finē respiciendi.*

MEDITATIO II.

De modestia Sacerdotis.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Phil. 4.

Punct: I. Christus modestissimus Virginis Filius nihil egit tumultuosè, præproperè, perturbatè, clamosè; sed omnia ad leges modestiæ, etiam in convivijs, in injuriis, &c. Sed ante omnia in convivio amoris, in ultima cœna, quando *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum, gratias agens benedixit. Can. Miss.* Vide hic mo-

modeſtiſſimè compoſita omnia: manus, linguam, oculos, totum corpus! vide, vide vivum exèmplar modeſtiæ Sacerdotalis.

Punct: II. Oportet, ut hanc Sacerdos in ſe ad vivũ exprimat: quia Angelus eſt, quia ſpectaculum fit Angelis, quia lux eſt mundi, & *lucerna ſupra candelabrum poſita.* Matth: 5. *Et* præſertim in illo pluſquàm Angelico miniſterio, quo & ipſe panem accipit, & gratias agens benedicit.

Punct: III. Nugæ, inquit Bern. l. 2. de conſ: 15. inter ſæculares nugæ ſunt, in ore autem Sacerdotis blasphemiæ.

Proprsitum practicum: *Vitandi cachinnos, rixas, clamores, &c. quæ non decent Sanctos.*

MEDITATIO III.

De charitate proximi activa.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Joan. 15.

Punct: I. En hic notam characteristicam, quâ te ipse discernas Sacerdos, discipulus Christi sis, an non? si enim diligis, eris; secùs, si non diligis; veritas dicit, aliter esse non potest; at quomodò tu diligis, quem non fers, quem ægrè aspicis, cui vis, & dicis malè? non itâ Christus.

Punct. II. Probatio dilectionis, inquit M. Gregorius,

us, *exhibitio eſt operis*; charitas oportet, ut ſit activa, non otioſa; vivit in opere, non paſcitur verbis; ais, diligo; credo, ſi quod dicis, facis; ſi non facis, mendax es; diligis, ſi adjuvas indigentem, ſi errantem erigis, ſi peccantem corrigis, ſed ſpiritu lenitatis; ità Chriſtus.

Punct: III. Proximus tuus vel eſt Sacerdos, ùt tu, & eſt frater, & condiſcipulus tuus; vel laicus eſt, & eſt filius ſpiritualis 1.Cor: 4. *in Chriſto ego vos genui.* Sed & fratrem, & filium lex naturæ dictat diligendum. Fac ergo.

Propositum practicum:
Diligendi proximum, ut te ipsum efficaciter, suaviter, fortiter, promiscuè, bonos, malos, amicos, inimicos, gratos, ingratos, &c.

MEDITATIO IV:

De Zelo animarum.

Ecce ego mittam multos venatores, & venabuntur eos, & piscatores multos, & piscabũtur eos. Jerem. 16.

Punct: I. Incredibilis Chrſti zelus patet in Evangeliis, maximè in convertẽdo Juda, ſi voluiſſet; ad quem imitandum obligatur Sacerdos curatus; quia piſcator, quia venator, quia Paſtor. Ergo piſcator es? ſemper tibi pendeat hamus. Venator

es? semper tua retia pande, ut feram aliquam, id est efferatam animam capias ad Pœnitentiam. Pastor es? pasce commissum tibi gregem? pasce verbo, exemplo, oratione; ùt Christus.

Punct: II. Occasio, errat è tuis oviculis, & hæret in bivio, à te vult manuduci: cecidit, à te vult erigi; cáligat, à te lucem petit; peccat, à te vult corrigi: hæsitat, à te vult instrui; negligis hoc? Pastor non es, sed idolum; venator non es, sed persecutor animarum; vigilas, sed in lucrum tuum, non in illarum salutem: aliter Christus; hunc imitare.

Punct: III. Motivum Jac. 5. *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Fac ergo.

Propositum practicum: *Instandi, arguendi, obsecrandi, increpandi cum omni patientia, & doctrina.* 2. Timoth: 4. 2.

HEBDOMADÆ. SANCTÆ:

Dies VIII.

Virtutes Sacerdotis unitivæ cum DEO.

Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. Cant: 7.

ME-

MEDITATIO I.

De amore DEI.

Simon diligis me plùs his? Joan. 21.

Punct. I. Christus incredibiliter & ineffabiliter amavit, & amat æternum Patrem, plús his, id est, plûs omnibus universim Sanctis. Scintillam immensi hujus amoris prodidit in ultima cœna, quādo elevatis oculis, ô quáto affectu! ad te Deum Patrem suum, tibi gratias agēs &c. Imitare, Sacerdos, quod admiraris.

Punct. II. Quilibet enim Sacerdos obligatur ad DEVM super omnia, & præ omnibus diligendum, tum quia prior, & præ omnibus

ab

ab illo dilectus est; tum quia quotidie versatur in ista ardentissima fornace amoris ad ignem Eucharisticum, quo si non incalescat, glacies fit, & saxum.

Punct: III. Vox amoris est, quam usurpabat S. Frãc: Salesius: *Omnia licent: dummodo non offendatur Deus.*

Propositum practicum: *Hæc erit deinceps agendi, & vivendi regula:* Licent omnia; sed cave, offendas Deum, *super õnia dilectum.*

MEDITATIO II.

De Zelo Divinæ gloriæ.

Glorificate, & portate Deum in corpore vestro: 1. *Cor.* 6.

Punct. I. Hoc admirabili zelo Christus incensus ubi-

ubique Patris gloriam propagabat: modò enim ostendit illius magnificentiam: *Simile est regnum cælorum regi*; modò amorem: *Homo quidam fecit cœnam magnam*; modò justitiam: *Redde rationem*: modò misericordiam; *Homo quidam descendit*; modò excellentiam: *Pater major me est*; modò subjectonem suam: *Ità Pater*! Sed hoc maximè in ultima cœna, in horto, in cruce, in tota passione, cujus memoriale est Sacrificium Missæ.

Punct: II. Tu verò ô homo Dei, sic te compellat, quisquis Sacerdos es, Apostolus 1. *Tim*: 2. quomodò insistis vestigiis Sacerdotis Magni? quo-

quomodo zelas pro gloria ejus? tu, qui deputatus es gloriæ illius propagandæ, qui toties ingeminas: *Gloria in excelsis! &c.* &, *omnis honor, & gloria!*

Punct: III. Elias fugam, persecutionem, exilium, famem, sitim sustinuit, *Zelo zelatus pro Domino DEO.* 3. Reg. 19.

Propositum practicum.

Imitandi hunc zelum, etiam cum damn propriæ commoditatis, N. N.

MEDITATIO III.

De actibus Religionis.

Adorate eum omnes Angeli ejus. Psalm: 96.

Punct. I. Religiosissimo cultu Christus jam conce-

tus,

ptus, velut Sacrificium matutinum in utero matris; jam natus & adultus, in ſtabulo, in templo, in montibus, in deſertis tanquam diurnum; moriens in cruce, ceu veſpertinum Sacrificium ſe ipſum obtulit æterno Patri, quâ reverentiâ, nemo novit, niſi qui noverat, quo cultu dignus eſſet ſupremus omnium conditor.

Punct. II. Confundamur oportet, propoſito nobis cultu, quem exhibebant Sacerdotes antiquæ legis Arcæ, & Sanctuario, propter aſſervatas in eis tabulas Moyſis, virgam Aaronis, Panes propoſitionis, &c. & hæ quidem umbræ erant, & figuræ; quid

nos damus luci & veritati? quid Ven. Eucharistiæ? quid templis, quid aris, quid tabernaculis?

Punct. III. Post virtutes tres Theologicas, palmam fert religio, quâ volumus DEO debitum cultum propter illius infinitã excellentiam. Sit ergo.

Propositum practicum:

Iterandi actus religionis (cùm genu flectis in Sacrificio, cùm oscularis altare, cùm caput inflectis) & cum his externis ritibus, jungendi actus internos.

MEDITATIO IV.

De unione Sacerdotis cũ DEO, per conformitatem voluntatis.

Ut

Ut omnes unũ sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Joan. 17. v. 21.

Punct. I. Hæc est affectuosissima piissimi JESV ad Patrem oratio, ut omnes discipuli, & inter se, & cum Patre concordes sint, & unanimes: hæc est ultima Christi morituri, & testantis voluntas, ut secum, cum Patre, & inter nos unum simus, quicunque Sacerdotes sumus.

Punct: II. Et est hæc quidem illius æquissima voluntas, & petitio: quod enim petit, hoc suum est, & Patris, nostra scilicet voluntas, & cor nostrum. Ergo injustus es, si neges: dat tibi cor suum,

um, & quidquid habet, & toties ergo ingratus es, si te neges; ideo dat se tibi, ut tu des te illi; ergo stultus es, si neges: cui enim reservas te? tibi? sed jam perdis: mundo? sed quo pretio? inani, vano, ludicro, momentaneo. Ergo da te JESV tuo: ipse petit; immitis es, si roganti neges id, quod imperio extorquere potest.

Punct: III. Si credentium erat inter se cor unum, & anima una. Actor. 4. 32. Quomodò potest non esse unum cor tuum cum corde JESV, una voluntas cum voluntate illius, qui toties tibi per S. Communionem unitur? Sed exspectat à te liberum consen-

sensum, hunc quomodò negabis? Sponsus est, & tu Sponsa, indigna hoc nomine, si neges: non est communio, si non est unio voluntatū reciproca. Fac ergo.

Propositum practicum:

Et dic: *O bone JESU! per tuam gratiam dico medullitùs ad Patrem tuum, ad Te, ad Spiritum sanctum:* Deus meus, & omnia! Dilectus meus mihi, & ego illi! Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. *Exnunc averto voluntatem meam à me, & ad te unum, per plenam ad omnia resignationem converto, Fiat! ô fiat voluntas tua!*

AD-

ADMONITIO

Ad non Sacerdotes.

Si quereris, te Sacerdotem non esse, qui hæc legis, ajo te esse, si vis, eo sensu quo Regius Vates quemlibet *hominem* cohortatur, ut *immolet Deo Sacrificium laudis.* Psal. 49. Spectat igitur & ad te, qui Christianus es, hæc commonitio Pauli 2 Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te;* Et ad te spectat hebdomas nostra sancta, quam sic lege, ut, si *Sanctus es, sanctificeris adhuc.* *Apoc.* 22. 11.

ACCESSUS ET RECESSUS ALTARIS,

Adjunctis perpulchris precibus, ante & poſt Miſſæ celebrationem, ſeu communionem.

ACCESSUS ALTARIS.

℣. Dõinę labia mea aperies.
℟. Et os meũ anũciabit laudem tuam. ℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Dñe ad adjuvãdũ me feſtina.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, &
Spiritui Sancto: &c.

Hymnus.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creâsti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas
Et spiritâlis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus,

Du-

Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciāus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Téque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
DEO Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula, Amē.

Antiphona.

NE reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Psalmus 83.

QVâm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultaverũt in Deum vivum.
Etenim passer invenit sibi domum; & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
Altaria tua Domine virtutũ; ex meᵒ & Deus meus.
Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.
Beatus vir, cujus est auxiliũ abs te: ascensiões in corde suo disposuit in valle lachrymarũ, in loco quẽ posuit.
Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; auribus percipe Deus Jacob.
Pro-

Protector noster aspice De⁹: & respice in faciẽChri∫ i tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis; super millia.

Elegi abject⁹ esse in domo Dei mei. magis quã habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiã, & veritatẽ diligit Deus: gratiã, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Domine virtutum, beatus homo, qui sperat inte.

Gloria Patri, & Filio; &c.

Psalmus. 84.

BEnedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti õnia peccata eorũ.

Mitigâſti omnem iram tuam, avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Nũquid in æternũ iraſcêris nobis? aut extẽdes iram tuã à generatione in generationẽ?

Deus, tu converſus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiã quid loquatur in me Dõin⁹ De⁹: quõiã loquetur pacem in plebem ſuam:

Et ſuper Sãctos ſuos:& ad eos, qui cõvertuntur ad cor.

Verũtamen prope timẽtes

eum

eum salutare ipsius; ùt inhabitet gloria in terra nostra

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: Justitia, & Pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eũ ambulabit: & ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus. 85.

INclina Domine aurẽ tuã, & exaudi me: quoniã inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvũ fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi totâ die: lætifica animam ſervi tui; quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniã tu Dõine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulatiõis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in Diis Domine: & non eſt ſecũdum opera tua.

Omnes gentes, quaſcũque feciſti, venient, & adorabũt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniã magn⁹ es tu, & faciens

ciẽs mirabilia: tu es De⁹ sol⁹.
Deduc me Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.
Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.
Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.
Deus iniqui insurrexerũt super me, & synagoga potentium quæsiêrunt animam meam: & non proposuerunt te in con pectu suo.
Et tu Dõine Deus, miserator & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

P E C P V E

Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderũt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me

Gloria Patri, & Filio, &c.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locut° ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Dõino: pro omnib°, quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vo-

Vota mea Domino reddã in conspectu omnis populi ejus. in atriis domû Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri, & Filio, &c

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intẽdentes: in vocẽ deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Dne: Dne quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino

A custodia matutina usq; ad noctẽ: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona.

NE reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorũ: neq; vindictã sumas de peccatis nostris. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Pater noster, &c.*

℣. Et nè nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Ego dixi, Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum

liquantulùm. ℟. Et deprecare super servos tuos. ℣. Fiat misericordia tua Domine super nos ℟. Quemadmodum speravimus in te ℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟ Et Sancti tui exultent. ℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟ Et ab alienis parce servo tuo ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum ℟ Et cũ Spiritu tuo.

Oremus

AVres tuæ pietatis, mitissime DEVS, inclina precibus nostris, & gratiâ sancti Spiritûs illumina cor nostrum: ut tuis myste-

riis dignè mini?rare, tèque æternâ charitate di igere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem S Spiritûs cogitationes cordis nostri, ut te perfectè diligere, & dignè lauda e mereamur.

URe igne sancti Spiritûs renes nostros, & cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus & mundo corde placeamus.

MEntes nostras, quæsumus Dñe, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnẽ, sicut tuus promisit filius, veritatem. Ad-

ADsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritûs sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEus, qui corda fideliũ sancti Spiritûs illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

COnscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica; ut veniens Dominus noster JESVS Christus filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ora-

Orationes ante Missam cum Actibus Contritionis

O Benignissime Creator cœli, & terræ, Domine Deus meus, ecce in conspectu Divinæ Majestati tuæ & totius curiæ cœlestis, ego indignus peccator confundor, ac erubesco, de omnibꝰ peccatis meis, quibus te Deum meum omnipotentē, justum, & misericordem, toties ad iram concitavi: ideo ex intimis cordis mei visceribꝰ pœnitet me, & doleo vehementissimè de omnibus delictis meis, cogitatione, verbo, & opere commissis, ab illo instanti, quo primùm peccare potui, usque in præsentem diem.

Do-

Doleo etiam dulcissime Jesu, quòd te tam benignũ, & misericordem Patrem, & Redemptorem meum ausus fuerim tot enormibus culpis offendere, qui usque adeò me dilexisti, ut pretiosissimũ sanguinem pro me effunderes, & mortem ignominiosissimam sustineres. Ah utinã! ô infinita bonitas! te nunquàm offendissem, quem ex intimis animæ medullis, super omnia intensissimè diligo, & in vicem imperfecti doloris offero tibi omnium creaturarum possibiliũ possibili affectu amorosissimam illam contritionem, quâ sua peccata deflevit S. Propheta David, S. Apostolus Petrus,

S.

S. Maria Magdalena, cum cæteris omnibus verè pœnitentibus, qui unquam à primordio fuerunt, ſunt, & erunt uſque ad conſummationem ſæculi; & firmiſſimè ſtatuo, divinâ tuâ opitulante gratiâ, in qua omnem fiduciam meam colloco, nullum unquam ampliùs admittere peccatum, & proximâ vice purè, ſyncerè, confiteri; omnibus etiam, qui me unquã offenderunt, tui amore libentiſſimè ignoſco.

Actus Satisfactionis

ET quia, ô Domine DEVS meus! ex viribus naturæ pro peccatis meis ſatisfacere nequeo; hinc offero totam vitam meam, univerſas acti-

actiones, & labores meos, & quidquid tandē adversi perpessus fuero, idque in unione sacratissimæ Passionis, & amarissimæ mortis tuæ, Beatissimæ Virginis Matris tuæ MARIÆ, omniumque Sanctorum, humillimè deprecans peccatorum meorum veniā, & ante extremum mortis articulum, veram, & perfectam pœnitentiam, Amen.

Actus solidæ contritionis.

ITaque miserere mei Deus miserere mei; & ignosce mihi. Miserere mei secūdùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarū dele iniquitatem meam. O Domine Deus meus, doleo,

quòd

quòd te ſummum benefactorem meum, fontem omnium bonorum meorum, qui me ex nihilo condidiſti, qui me ad imaginem & ſimilitudinē tuam formâſti, qui me ad communionem gloriæ tuæ, omniùmque bonorum & gaudiorum feciſti, qui me perditum ab æterna morte eripuiſti, & rurſus ad æternam vitam deſtinâſti, qui meâ cauſâ homo factus, in carne mortali tot labores & dolores, tot acerbitates & indignitates, tot probra & contumelias, tot tormenta & vulnera, crucem denique & mortem ipſam pro me ſuſtinuiſti. Doleo, inquam, quòd te toties offenderim, & contem-

tempserim, tua præcepta sā-ctissima nihil æstimando & violando: quôd toties pro infinitis beneficiis infinitam ingratitudinem & injuriam rependerim. Ob hanc causam doleo ex animo, doleo intimis sensibus & opto mihi dolorem & detestationem millies majorem, eùmque millies & millies, humillimè & ex mero amore tui, à te flagito. Miserere mei DEVS meus, miserere mei, & ignosce mihi; quia tu Deus meus es, quia tu summum bonum meum es. Miserere mei, creaturæ tuæ, vilis, abjectæ, & indignæ. Miserere, miserere, ah miserere!

* *

*

Alia Oratio.

ACerbissimam passionem tuã, Domine Jesu Christe, mortis angustiam, mœstitiam, tædium & pavorem, guttas sangvinei sudoris, probra, sputa, colaphos, vincula, flagella, contumelias, spineam coronam, crucẽ, clavos, fel, acetum & lanceam, quibus usque ad mortem justus pro injustis, innocenter & crudeliter afflictus es, ad mentem revocans: doloroso tibi corde compati gestio; & ejusdem passionis tuæ memo iam facturus in conficiendo, tractando, & accipiendo sacratissimo tui pretioni corporis & sangvinis Sacramento, vereor nè

in

in judicium mihi & condemnationẽ, ad Sanct.. Sanctorum accedam: quòd si prætermisero, & sacerdotali officio non satisfecero, timeo, nè ex inobedientia negligentiàque condemner. Quia igitur te à peccatoribꝰ exorari, tibique contriti cordis sacrificium offerri præcipis, ignosce precor peccâti, parce confitenti, miserere roganti. Et da mihi spiritum contribulatum, quem tibi gratum sacrificium revelâsti, ut eo purificatus, non solùm Sacramentum, sed etiam virtutem Sacramenti suscipere merear: quæ omnia peccâta mea deleat: & ea deinceps vitandi remedium præstet.

Mi-

Mihìque; & omnibus fideli bus, vivis & defunctis, pro quibus illud offerre aggredi or, in remissionem peccatorum & vitam proficiat sempiternam, Amen.

Oratio devotissima.

Dicenda â Sacerdote ante vel post Missam.

PAter cœlestis, clementissime Domine, Pater misericordiarum; suscipe per manus servi tui hoc sacrosanctum Sacrificium, verum corpus & sangvinem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi in satisfactionem, & remissionem omnium peccatorum meorum in salutem, & fortitudinem ani-

animæ meæ, totius domûs meæ & omnium illorũ, quibus aliqua obligatione teneor, & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotũ, & Religiosorum Catholicæ fidei, ut eis gratiam Spiritûs sancti impertiri digneris ad salutẽ animarum suarum, & regimen totius populi Christiani; & omniũ peccatorum hujus mundi, ut eos convertas, & ducas ad viam salutis; in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium, & veram patientiam tribuas; in refrigerium, & liberationem omniũ animarum existentiũ in Purgatorio, & maximè illarum, quæ auxilium à me jure ex-

pectant: ad illuminationem & conversionem omnium infidelium, hæreticorũ, & schismaticorum, ut cognoscant, & ament te, summã Bonitatẽ, Patrem omnipotentem, qui cum Filio, & Spiritu Sancto es laudibilis Deus, & benedictus in sæcula sæculorũ, A.

Intentio Sacerdotis
celebraturi.

GREGORIUS XIII
PONTIFEX MAXIMVS
Concessit cuilibet dicenti, quæ sequuntur, quinquaginta Annorum Indulgentias.

EGo volo celebrare Missã, & cõficere corpus, & sangvinem Domini nostri JESV Christi, iuxta ritum san-

sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem Omnipotentis Dei, totiúsque Curiæ triũphantis; ad utilitatẽ meam, totiúsque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie; & pro felici statu sãctæ Romanæ Ecclesiæ, A.

GAudium cũ pace, emendationem vitæ, spatiũ veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationẽ sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus, Amen.

Alia recta Intentio Sacerdotis celebraturi.

AD laudem & gloriam sacrosanctæ & adorandæ

Trinitatis, in memoriâ vitæ passionis, ac mortis, Salvatoris mei JESV Christi; & in honorem Dominæ meæ, Dei Genitricis MARIÆ, cœlestium Spirituum, & omnium Sanctorum Sanctarùmque beatè cum Deo regnantium, ac signanter Sancti N. N. (*cujus memoriam hodie agim*ˢ) cum omnibus Angelorum, & Sanctorum laudibus, ac meritis, offero tibi, Deus meus, hoc præsens, & omnia alia Sacrificia, orationes, & bona opera totius mundi; pro meis præsentibus & futuris animæ & corporis necessitatibˢ in remissionem peccatorum meorum, quorum veram semper contritionem habere inten-

tendo, conor, & cupio; omniúmque vivorum, & defunctorum, meorum parentum, & consangvineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus, & temporalibus, ac illorum, quibus aliquando fueram gravamen, scandalum, & occasio peccandi; pro omni gradu Catholicæ Ecclesiæ ac illius conservatione, augmento, & exaltatione; Christianorum Principum unione, hæresum extirpatione, summi Pontificis salute, & animarum in purgatorio existentium liberatione: pro conservatione & incremento omnium Religionum, pro conversione omnium infidelium; pro mi-

mihi commiſſis, & comme
datis: denique pro illis o
nibus vivis & defunctis, p
quibus Dominus noſter J
SVS Chriſtus, & ejus Mat
volunt me orare, & ſacri
care. Sic oro, obſecro, ac
rare, obſecrare, intendo,
propono juxta intentione
ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ
ego N. miniſter licèt ind
gnus: in nomine Patris& F
lii, & Spiritûs ſancti, Amen

Oratio ante Miſſam.

DEus, qui de indignis di
gnos facis, & de pecca
toribus juſtos, & de im
mundis mundos: munda cor
& corpus meũ ab omni con
tagione, & ſorde peccati, &
fac me dignum ſanctis Alta

ri-

ribus tuis ministrum: concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles, atque placabiles offerã pietati tuæ pro peccatis, & offensionibus, innumerìsque & quotidianis excessibus meis, atque cunctorum simul Christianorum culpis abluendis; & per eum sit tibi votum meum acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit sacrificium. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs sancti DEVS, &c:

Alia Oratio.

OBsecro te dulcissime JESV Christe, ut passio tua sit mihi virtus, quâ muniar, protegar, atque de-

fendar; vulnera tua ſint mihi cibus, & potus, quibus paſcar, enutriar, atque delecter; aſperſio ſangvinis tui ſit mihi ablutio omniũ peccatorum meorum: Mors tua ſit mihi vita indeficiens: Crux tua ſit mihi gloria ſẽpiterna, reſurrectio & auxilium, ſanitas & gaudium deſiderium & ſolatium cordis mei nunc & in perpetuum. Qui vivis, & regnas, &c:

Oratio S. Martini Papæ, ante Miſſam.

O Domine JESV Chriſte Fili Dei vivi, miſerere mihi miſero peccatori & omnibus ſervis tuis, qui tibi hodie ſacratiſſimum ac pretioſiſſimum ſalutis noſtræ pre-

pretium, pretiosi videlicet corporis & sangvinis tui offerunt Sacramentum: da nobis gratiam, virtutem, & fortitudinem immolandi, offerendi, ac sumendi hoc sacrosanctum corpus & sangvinẽ tuum in fide recta, spe firma, & charitate perfecta, cum augmento humilitatis & patientiæ, obedientiæ, castitatis, ac totius sanctitatis: in honorem & laudem sanctæ & individuæ Trinitatis, beatissimæque Virginis MARIÆ: in gaudium Sanctorũ Archangelorum & Angelorum; Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum

atqueElectorum tuorum jam in æterna felicitate lætantium: & præsta, ut, sicut illos jam pleno & sereno splendore vultûs tui sinè defectu satias: sic nos degentes in hac miseria, hac gratiâ reficias; eos, qui in pœnis sunt purgatorii, ac ibi æstuant, tua misericordiâ eripias; & sicut es illis in gaudium, sic nobis hujus vitalis Sacramenti perceptio sit in subsidiū, & his, qui in pœnis sunt, in refrigerium. Miserere igitur clementissime Domine J E S U Christe, per hujus vivifici Sacramenti virtutem, sanctæ & universali Ecclesiæ; & omnia mala, scilicet hæreses, discordias, dissensionesque

ab

ab ea tolle, & evelle, errantes in illa corrige, incredulos ad fidem converte, schismaticos ad unitatem sanctæ Ecclesiæ fac redire, & ipsis lumen tuæ veritatis ostende, peccatoribus veram pœnitētiam largire, justos in bono suo proposito fac perseverare, populo Christiano miserere, Clerum defende, Religiosos in servitio tuo sancto conserva, tristes consolare, infirmis sanitatem corporis & animæ restitue, pauperib⁹ ac egentibus omnia corporis & animæ necessaria tribue, peregrinos & exules cum salute ad propria fac remeare, in periculis aquarum positos ad portum tuæ volunta-

tis fac pertingere: in vinculis & carceribus detentos fac ſolvi. Omnibus cum quibus peccavimus, vel quos ad peccandum induximus, & nobis, miſericors Pater, indulge; omnibus, quos conturbavimꝰ, læſimus, ſcandalizavimus, vel defraudavimus, tu gratioſe Creator abſolve, omnibus Parentibus, amicis inimicis, confratribus & consãgvineis, familiaribus & benefactoribus, & quorum utimur, vel uſi ſumus eleemoſynis, omnibûſque pro nobis Deum exorantibus, vel orationibus noſtris ſe commendantibus, omnia bona retribue, & eos ab omni malo defende, in tuòque eos ſervi-

tio fac perseverare usque in finem. Et post hujus cursũ miseriæ ad te, qui es vera patriæ merces, præmium æternum, & gloria, da pervenire. In tribulationibus, & persecutionib⁹ & tentationibus ad te clamantibus auxiliare, in agone positis de hoc quoque sæculo exituris succurre, & animas eorum â faucibus rugientis inimici eripe. Inimicis nostris & nobis, veram charitatem largire, omnibûsque tuis fidelibus per hujus Sacramenti virtutem præsta subsidium, auxilium & consolationem, adhuc in carne præsentibus tuam gloriam largiendo, futuris tua media, præveniendo; præte-
ritis

ritis verò omnibus æternam requjem tribuendo, Deus qui es trinus per cuncta sæculorum sæcula benedictus Amen.

Intentio Sacerdotis

Dum stat in medio Altaris Missam jamjam inchoaturus.

O Infinita Dei Majestas ego indignissimus peccator tremendum hoc Sacrificium corporis & sangvinis Domini Nostri JEsu Christi offerre, tibìque supremo vitæ ac necis Domino, hostiam infiniti valoris immolando, infinitam complacentiam causare, omnibus viribus nunc intendo, ad omnes pias, quas unquam feci,

ci, aut facere possum, intentiones: illas præsertim septem, quas in oratione Dominica Filius tuus nos docuit. Adjuva me, Deus meus, in hac hora, dignùmque altaribus tuis fac ministrum. Tùque ô dulcissima Dei Mater, assiste mihi nunc, & Filium tuum, unà mecum æterno Patri offer, quemadmodũ stans sub cruce obtulisti. Sed & vos, SS. Angeli, qui hanc aram trementes circumstatis, Seraphicis vestris laudibus & adorationibus teporem meũ accendite, verámque devotionem impetrate, Amen.

Intentio sive Memoria vivorum facienda.

MEi, Parentum, Superiorum, Fratrum, Sororum, Consangvineorum, & Amicorum meorũ.

Omnium, quibus fui gravamen, scandalum, occasio peccandi.

Omnium benefactorum meorum in spiritualibus, & temporalibus.

Omnium mihi commissorum, in genere, & in specie.

Omnium Sacerdotum, & ministrorum Ecclesiæ Catholicæ.

Omnium inimicorum meorum, ad dimissionem.

Omninm hæreticorum, & infidelium, ad conversionẽ.

Om-

Omnium, pro quibus ſcis, & vis me debere orare.

MEMORIA
Mortuorum facienda.

ANimarum parentũ, Superiorum, Fratrum, Sororum, & conſangvineorum, amicorùmq́; meorum.

Animarum, quæ occaſione mei purgantur in purgatorio.

Animarum omnium benefactorum meorum in Spiritualibus, & in temporalib⁹.

Animarum omnium mihi commiſſarum in genere, & in ſpecie.

Animarum omnium Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ.

Ani-

Animarum morte impr
viſa corpore exutarum.

Animarum, quarum n
eſt ſpecialis memoria.

Animarum miſerrimè
xiſtentium in purgatorio
omnium, pro quibus ſcis,
vis me debere orare.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

RECESSUS AB ALTARI.

Antiphona.

TRium puerorum can
mus hymnum: quē ca
tabant ſancti in cami
ignis benedicentes Domin

Canticum trium pueroru

BEnedicite omnia o p
Domini Domino; laud
te, & ſuperexaltate
um in ſæcula. Be-

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino; benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino. Be-

Benedicite lux & teneb
Domino: benedicite fulgu
& nubes Domino.

Benedicat terra Dom
num: laudet, & ſuperexalt
eum in ſæcula.

Benedicite montes & co
les Domno: benedicite un
verſa germinantia in ter
Domino.

Benedicite fontes Do
no: benedicite maria & fl
mina Domino.

Benedicite cete, & omn
quæ movẽtur in aqu
Domino: benedicite omn
volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſti
& pecora Domino: bened
cite filii hominum Domin

Benedicat Iſrâël Domin

lau-

laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: benedicite sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misàël Domino; laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Psal-

Pſalmus 150.

LAudate Dominũ in ſan
ctis ejus: laudate eum i
firmamẽo virtutis ejus
Laudate eum in virtut
bus ejus: laudate eum ſecu
dùm multitudinem magnit
dinis ejus.
Laudate eum in ſono t
bæ: laudate eum in pſalteri
& cithara.
Laudate eum in tympan
& choro: laudate eum i
chordis & organo.
Laudate eum in cymbal
bene ſonantibus, laudate e
um in cymbalis jubilationi
omnis ſpiritus laudet Do
minum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Can-

Canticum Simeonis.

NVnc dimittis servum tuum Domine; secundùm verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parâsti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Deinde repetitur Antiphona.

TRium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater no:

℣. Et nè nos inducas i tentationem. ℟. Sed lib ra nos à malo. ℣. Confit antur tibi Domine omnia pera tua. ℟. Et ſancti t benedicant tibi. ℣. Exu tabunt ſancti in gloria. Latabuntur in cubilibus ſ is. ℣. Non nobis Domin non nobis. ℟. Sed nomi tuo da gloriam. ℣. Domi exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veni ℣. Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pue mitigâſti flammas ign um: concede propiti ut nos famulos tuos non xurat flamma vitiorum.

Acti-

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extingvere: qui beato Laurentio Martyri tuo, tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum D. &c.

Oratio post Missam.

OMnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundìque Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam

prostratum benignissimè r
spice, & Sacrificium, qu
in honorem nominis tui p
salute fidelium tam viv
rum, quàm defunctorum:
itemque pro peccatis, & o
fensionibus meis obtuli, p
issimè respice, iram tu
à me remove, gratiam
misericordiam mihi conced
januam Paradisi mihi pand
& ab omnibus malis me p
tenter eripe, & quidqu
proprio commisi reatu, cl
menter indulge; & sic
hoc sæculo, in præcept
tuis fac me perseverare,
dignus electorum gregi co
pulari efficiar: te præstant
DEVS meus, cujus nomen
benedictum, honor, atqu
regnum

regnum permanet in sæcula sæculorum, Amen.

Gratiarum actio post Missam.

GRatias tibi ago Domine piissime, quòd me ad officium Sacerdotale elegisti. Gratias tibi ago dulcissime Deus, quòd me tuo dulcissimo corpore & sanguine refecisti. Gratias tibi ago Domine clementissime, pro devotione, quâ me in hac Missa specialiter respexisti. Gratias tibi ago benignissime Deus, quòd me protegendo â periculosis negligentiis custodisti. Mi Domine Deus, ecce! pro gratissima electione, pro dulcissima refectione, pro tam piissima respectione, pro

tam benignissima protectio-
ne & custodia tibi optim
Deus, ex toto corde gratia
ago, te benedico, tèque glo-
rifico in æternum. Eja nun
oro piissime Deus, ut sit mi-
hi hoc dulcissimum Sacra-
mentum contra omniu
peccatorum meorum vuln
ra efficacissimum medicamen-
tum. Sit mihi benignissim
Deus, hoc dulcissimum Sa-
cramentum omnis virtuti
& gratiæ victoriosissimum
complementum. Sit mih
piissime Deus, hoc dulcissi-
mum Sacramentum tam i
vita, quàm in morte contr
omnia pericula validissimu
tutamentum. Sit mihi, dul-
cissime Deus, hoc amantissi-
mum

mum Sacramentum ad æternam beatitudinem ſolidiſſimum fulcimentum. Mi Domine Deus, per ſumptam quæſo Euchariſtiam, da mihi, ut à peccatis emundatus, meritô fœcundatus, fine bono conſummatus, tecum in perpetuum ſim beatus, cui eſt honor, & gloria in ſæculorum ſæcula, Amen.

EXERCITIUM MIRE ELEGANS Poſt miſſam & Communionem.

Quo Chriſtus æterno Patri offerendus eſt, ex P. Antonio Molina Inſtruct: Sacerdotum, qui agit, hac formâ utiliorem excogitari vix poſſe. Do-

DOmine Deus, Pater sa ctissime, qui per abun dantiam charitatis tu dedisti nobis unigenitum Fi lium, ut omnis, qui credi in eum, non pereat, sed h beat vitam æternam: & u thesauro meritorum Ipsiu nostri suppleantur defectu ego miserrimus peccator sed tuâ misericordiâ fideli Christianus, & servus Do mini JESV Christi, velu Ecclesiæ membrum, eum re cepi, & meo illum in pecto re nunc complector tan quam rem meam, & intim mihi conjunctam.

Atque ût talem, in unio ne charitatis, quâ se ipsum largitus est, & obtulit pro

no-

nobis in cruce, & ſe dat modò, & communicat in hoc Sacramento, tibi eum offero cum omnibus meritis atque virtutibus, in æternam gloriam & laudem, ac infinitam gratiam, & beneplacitum tuum: ut in illo tibi perfectè complaceas: & ut nos, qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, dilectiſſimi Filii tui meritis & patrocinio, perfectè placeamus.

Offero tibi Pater ſanctiſſime, omnem ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, manſvetudinem, patientiam, cum aliis omnibus virtutibus: quibus præditus

fuit, ut illis totum, quod mihi deficit, suppleatur.

Cùmque ego tibi debitas nequeam gratias agere, pro beneficiis in me collatis, offero tibi omnes laudes, quas ipse dedit, cùm visibilis nobiscum versaretur in terra; & quas tibi nunc offert in gloria.

Cùmque parùm satisfacere queam pro peccatis meis, offero tibi omnes ejus labores, jejunia, vigilias, fatigationes, orationes, quidquid denique fecit, aut pertulit, à primo instanti conceptionis, donec expiravit in cruce: omnes dolores ac tormenta passionis, omnem sangvinem pro me effusum,

omnia vulnera pro me ſuſcepta, ac mortem pro me toleratam.

Hic eſt theſaurus Pater clementiſſime, in quo totam ſpem repoſui; hæ ſunt divitiæ, quas offero in ſatiſfactionem omnium debitorum.

Reſpice Domine in faciem Chriſti tui, & cùm ſit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi ſemper bene complacuit, qui nunc mihi eſt intimè conjunctus, ſupplex rogo, ut me quoque reſpicias oculis miſericordiæ tuæ. Sub umbra meritorum ipſius compareo coram te, ut illum aſpiciens, me quoque clementer ac benigne intu-

caris tanquam mancipium ejus, & servum perpetuum: nè permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quæ toties in se recepit Filium tuum, qui à te missus, venit in mundum, quærere, & salvum facere, quod periêrat. Hoc præsta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

DELICIÆ *Eucharisticæ:* SIVE *ELEGANTISSIMI* AFFECTVS

Ante, & post Missæ Sacrificium, etiam à non Sacerdotibus ante, & post Communionem fructuosè usurpandi

AD-

ADMONITIO.

ASsus comedebatur Agnus Paschalis; vide sis, ne sine præparatione crudam ingeras Eucharistiam.

Qui perfunctoriè, ex consvetudine potiùs, quàm affectu Deo vescitur: ignem recipit, & non accenditur; pharmacum sumit, & non medetur languori; divinissimas inter Epulas famelica manet anima; in mari gratiarum sicca, egena cum bonorum omnium thesauro.

Errantem inter res creatas animum reduc ad excipiendum cum omnibus potentiis Creatorem, ut pro mensura dispositionis infundantur tibi opes Divinarum gratiarum. Devotâ Communione lucraris plus,

quâm valeat totus mundus; porrò plures hîc affectus damus, eô consiliô, ut nunc hos, nunc alios elicias, prout tempus & devotio permittit, namque etiam in rebus spiritualibus Varietas delectat.

PARS I.

SS. Eucharistiæ Dignitas & finis.

AD me, vilem origine, viliorem crimine, venit DEus! cujus magnitudini nulla quantitas, potentiæ nulla facultas, gloriæ nulla dignitas, pulchritudini nulla venustas, dulcedini nulla svavitas, naturæ nulla bonitas æquari potest. Est melior omnibus; est mihi charior omnibus, DEVS.

Venit, mei ductus amore; ut me gratiis suis adimpleat. Venit tectus, nè percellat Majestas; & mihi terræ vermiculo se communicat, qui teste S. Augustino, Sapientissimus, plus dare nescit; Ditissimus, plus non habet; Omnipotens, plus non potest.

Veni in cor meum Amabilissime Deus. Te desidero, te amo, qui ab æterno me amâsti; nec me amare, nisì te cogam, æternúm desines.

Vilitas propria.

QVæ mea dementia, DEI Majestatem mihi viluisse, dissipuisse bonitatem; Quæ mea malitia, quôd toties peccati cœnum,

toties ſerpentinam diaboli ſaniem DEO præpoſuerim! O quàm me pœnitet mi De!
Excæcatus creaturis non levavi oculos in pulchritudinem Creatoris infinitam.
Si tunc ad judicium raptus fuiſſem, quò me præcipitâſſes? Quot ardent in inferno, qui minùs me peccaverunt? Et ego non ardeo.
Quis tunc ô Deus, quando ſangvinem tuum pro me fuſum peccato conculcavi, & conculcantem me infinito odio proſequebaris, quis juſtitiæ tuæ fulmen continuit?
Ipſa mea peccata clamabant contra me, & tu obturabas aurem tuam, nè audires:

res: aliorum clamabant, & exaudisti, severus scelerum vindex.

Petiit dæmon me, suum mancipium sibi dari; cui non fundenti pro me sanguinem servivi, te Deô meô conculcatô.

Et tibi, Augustissime Deus, cujus Majestate nec mentes Seraphinorum dignæ sunt, placeat venire ad hoc peccatorum receptaculum, simetô Jobi, speluncâ latronum, lacu Danielis detestabilius!

Veni amantissime JESV, elimina virus scelerum, eorûmque vestigia ex animo meo, munda sangvine tuo, illumina præsentiâ, conforta

ta gratiis, dita meritis, accende charitate. Veni de cœlo in abyſſum vilitatis meæ; mane, & me de abyſſo ſcelerum cœlum virtutum effice.

Contritio.

AMantiſſime DEVS, non tam inferni horrore, nec cœli amittendi metu; quàm tui amore intimè doleo, quòd peccatis meis offenderim tuam infinitè amabilem Majeſtatem, ipſamque diviniſſimam Bonitatem tuam.

Pœnitet me ſemper, quòd cum graviſſima tua injuria, & contemptu, peccatorum & abominationum illarum infernale toxicum amârim!

Ignosce, Clementissime Jesu, per vulnera tua te rogo; rogo per sangvinem tuum, eàmque pro delictis meis offero.

Execror omnia, & plùs quàm infernum detestor, singula mea peccata.

Nunquam tua juvante gratiâ, nunquam, velut canis ad vomitum reversus, peccatorum mephitim reamplectar.

Nunquam è verme factus Angelus, redibo ad cadaver.

Fides.

COram tua divina Majestate, veritate ineffabili, humillimê prostratus toto intellectu & animo credo firmissimè, quæ continentur in

in Symbolo Apostolico; & omnia, quæ dixisti, revel sti, & mediante Sanctâ E clesiâ Catholicâ proposuist Nolo, ut ratio mea judic de eo, quod est supra rati nem.

Martyrum supplicia, & intensissimos fidei actus; f dem etiam integerrimam S Matris Virginis, tibi offero

Da, per tuum sangvinen precor, ut totus mundus fi de, & bonitate, te veneretu sicut oportet. Confitean tur tibi populi Deus, confi teantur tibi populi omnes Omnis terra adoret te, & psallat tibi.

Spes.

In-

Ingredior, ô potentissime, & liberalissime Deus, in infinitum Bonitatis tuæ Oceanum, speròque firmissimè per merita Jesu Christi Filii tui, Redemptoris mei, per opera etiam mea, facta, ex gratia tua, veniam peccatorum meorum; ac vires ad tentationem quamvis superandam; ac tandem gratiam ad fruendum tuo beatissimo aspectu in cœlesti patria.

Promittis Regnum cœlorum, & ultra promissum, formam servi induis. Quid negabis mihi: cui temetipsum jam dabis, & toties dedisti, fontem bonorum omnium.

Chari-

Charitas.

Turpis error! amare, quod dignum eſt odio.

Deus eſt Charitas, interrogat S. Bernardus: Quid pretioſiùs? Et qui manet in charitate, in DEO manet: Quid eſt ſecuriùs? Et Deus in eo: Quid delectabiliùs?

Deum amare, tam eſt excellens, ut beati omnes nobilius agere nihil poſſint, qui paterentur inferni flammas potiùs, quàm momentô unicô ceſſarent ab ejus amore.

Et ſunt in te, Deus, illecebræ omnis amoris, omnis deſiderii ſatietas, & omnium gaudiorum plenitudo omnis. Igitur:

Immergo cor meum huic bonitatis oceano; & ut ampliùs amare possim, ad te venio. Attrahe, ô bonum infinitum, attrahe mentem meam, & adstringe vinculo tui amoris indissolubili.

O magne Deus! te amo ex toto corde, immensam tuam perfectionem, altissimam sapientiam, infinitam potentiam, & divinissimam bonitatem, propter temetipsum, ô Pater, ô Fili, ô Spiritus sancte! Tibi, amabilissime Deus, corda infinita, plena omni possibili affectu, Seraphicis etiam & Marianis amoribus æstuãtia, in holocaustum amoris offero. Et renovo hunc amo-

rem

rem toties, quot ſunt momenta in æternitate: ejuſque ſignum ſit pulſus meæ arteriæ.

Tuum etiam amorem Domine tibi offero, in ſupplementum exigui mei amoris, & totius mundi, te aut nihil, aut non ſatis amantis, qui dignus es viribus amari omnibus.

Deſiderium.

OMnia Chriſtus eſt nobis, ait S. Ambroſius: ſi vulnus curare deſideras, medicina eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt.

Dices animæ meæ: Salus

tua

na ego sum. Sicut Zachæo salus facta est, cùm te Salvatorem domi suæ excepit.

Vivam ego, jam nòn ego, vivet verò in me Christus. Quemadmodum & silvestris arbor, nobiliorem surculi insiti vitam haurit; exit & in cælum ramis felicibus arbor.

Accende igitur, mei appetens JESV, in me tui desiderium, per illud, quo Mater tui amantissima triduò te perditum quæsivit; per illud, quo tuam Resurrectionem suspiravit; per illud, quo ardens post Ascensionem tuam quotidie Eucharistiæ deliciis fruebatur.

INTENTIO.

OFfertur Sacrificium qua druplex: Honorarium, Eucharisticum, Propitia torium, & Impetratorium.

1. Sacro-Sancta Trinit unus Deus, divinæ Majest ti Tuæ Sacrificium Corp ris, & Sangvinis Domini N stri JESV Christi offero, i unione illius amoris, q Filium Pater in mundu misisti, & illius Sacrifici quod Filius in cœna & cr ce obtulit: & nunc mecu offert summus Pontife Desidero implere, quod ip instituit, & Ecclesia inte dit pro Gloria DEI.

Ad æternum tuæ Maj statis cultum & honorem; pro-

protestationem supremi in nos Dominii, in memoriam & venerationem Incarnationis, vitæ, & mortis Domini mei JESu Christi. Et offero affectu Deiparæ, omnium Sanctorum, & cum hujus diei Sacrificiis omnibus tibi placitis.

Gaudeo, tantum te esse, ut à nulla creatura dignê æstimari possis. Filium proinde tibi tuum in Sacrificium laudis infinita tua Majestate dignum offero.

2. Offero eundem in gratiarum actionem omnium beneficiorum: Creationis, Redemptionis, Vocationis, Conservationis, Eucharistiæ aliorùmque Sacramentorum:

eximiorum chariſmatum h
r a itati Chriſti, Deipar
Cœlitibus, toti mundo,
mihi ingratiſſimo collat
rum, & conferendorum.

3. In ſatisfactionem p
meis, omniùmque peccat
in compenſationem offe
tibi Filium, Hoſtiam pla
tionis gratiſſimam.

Primariò offero divinæ M
jeſtati tuæ hanc immacu
tam Hoſtiam pro N. N. I
inde pro iis, pro quibus
rare teneor. Et juxta
diernam meam intention
Etiam pro agonizantib
Animabus Purgatorii, &c.

Ad indulgentias con
quendas: Hodiernas, Sod
tatis, Pontificis. Quin

Sanctorum, Religionis &c.

Petitio Gratiæ.

AD vos, ô Sancti, & Amici Dei, ad te S. Angele Custos, S. Josephe, S. Joannes Baptista, & Evangelista, S. Ignati, S. Xaveri, S. Borgia, SS. Patroni mei alii, SS. Menstrui, SS. hodierni, omnèsque Cœlites, ad vos supplex confugio: ornate vestris me virtutibus, & iis mihi ornato adducite Aulici Sancti vestrum Regem, quem exopto suscipere eo cordis mei apparatu, qui illi in vobis maximè placuit.

Tùque Regina cœli, & Augusta Mater Salvatoris mei, quem donis S. Spiritûs plena portâsti, & in Eucha-

riſtia ſuſcepiſti: impet
mihi & omnibus hodie com
municantibus, ejuſdem
Spiritûs dona, per amore
Filii te precor.

Et (qualiter docuiſti
Gertrudem ante Communi
nem precari) te precor p
illam innocentiſſimam pu
tatem, quâ Virgo placid
manſionem Filio DEI p
parâſti; fac tuis precibus,
ab omni emunder macu
Te precor per profundi
mam humilitatem, quâ ſu
omnes Angelos, & Cœli
meruiſti exaltari, fac ut ſ
pleantur omnes meæ ne
gentiæ. Per amorem d
que illum inæſtimabile
(qui te DEO inſeparabili
con-

conjunxit) precor; fac, ut diversorum meritorum copia mihi præstetur.

Dic Filio tuo Virgo, ut in gratiam tui me, meósque, respiciat.

Ipse etiam, clementissime JESV, para Majestati tuæ in animo meo thronum ex thesauro meritorum tuorum; per eum amorem te rogo, quo te mihi in cibum dedisti.

Sed & misericordissime Pater, qui Filium tradidisti, ut servum redimeres, ex hac misericordia & amore da, quod tibi in me placitum est.

Aspirationes ante Sacram Communionem.

JESV infinitè amabilis, & desiderate millies, veni in cor meum; posside illud, & conforma cordi tuo.

Veni Sol, qui totum mundum illustras, illumina mentem meam.

Veni cœlestis Auster, animum meum perfla; ut in eo crescant grata tibi aromata virtutum.

Veni pluvia divinissima, stillicidiô tui pretiosi sangvinis irriga mentem meam.

O dulcissime Jesu, te amplector: de quo virtus exibat, & sanabat omnes. Veneror caput spinis coronatum, frontem sputis defœdatam, oculos vigiliis marcidos, genas colaphis contusas, saucios cruce humeros, vu-

vulneratùmque corpus totum, & totum exosculor reverentissimè.

Exosculor pedes, manûsque clavis, & pectus lanceâ, magìsque mei amore transfixum.

Præsumo; clementissime Jesu, tua intrare vulnera, civitates refugii, balnea peccatorum, animi pharmaca, fidei lumina, fundamenta spei, amoris incendia, thesaurum gratiæ, virtutum alimenta, victoriæ insignia, flumina salutis, ut in his sinè naufragio ad cœlum navigem.

PARS II.

Aspirationes post S. S. Communionem.

CRedo te Dominum meum & Deum meum, intrà me commorantem. Sentiat præsentiæ Divinæ potentiam mens mea, eam illumina, fidèmque auge.

Spero benignissime JESu, me fore meritorum tuorum, donorûmque cœlestium participem. Quid negabis mihi, cui te ipsum dedisti; jam habeo te, qui potes, & possides omnia.

Noli cor meum jam foris quærere, quod ames; habes intrà te cœli delicias, amabilissimum Deum.

Amo te divinissime Hospes: accende in me tui amorem; da, ut nunquam extingvatur, nec intepescat.

O

O anima mea! immitte te totam in præsens tibi, & apertum Christi JESu latus, amoris thronum, clementiæ portum, gratiarum pelagus, perfectionis paradisum, & abyssum divinitatis: hauri hinc cum S. Chrysostomo merita, & sangvinem Domini tui, & cum hoc omnia.

Gratiarum actio.

O Beata Trinitas! ô infinita Deitas! ô divina humanitas! ô corpus Jesu, salutis meæ victima! ô anima amoris mei vita! prosterno me, & Majestatem divinissimam intrà me existentem adoro, omniúmque Sanctorum possibili affectu veneror.

Venisti ad servum Dominus, sponsus ad infidelem sponsam, Pater ad prodigum filium ad creaturam Creator, ad nihilum omne bonum: infinita Sanctitas, & Majestas ad infinitam fœditatem, & miseriam; Deus ad limum. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt, Nomini sancto ejus. Sed & benedicat tibi, ô æterne Deus, unigenitus Filius tuus, qui intra me est. Per illum, Majestatem tuam laudant Angeli, & ego per illum te laudo, & amo, laude & amore ipsius infinito. De gloria Majestatis tuæ exulto gaudiô ipsius infinito: detestor omne pec-

peccatum meum, & quidquid tibi displicet, odio & detestatione ipsius. Offero illius omnes gratias, eas etiam, quas ante institutionem hujus, SS. Sacramenti elevatis oculis nostro nomine dedit. Denique universos illius actus internos, & externos, vitæ mortalis, & immortalis: quos secum mihi donavit, tibi velut thymiama svavissimi odoris offero.

Suscipe illas etiam, ô Deus, laudes & gratias, quas Beata Virgo Mater in tui Conceptione, Nativitate, Communione olim, & jam, persolvit. Per hanc Dominam præsento exiguam tibi meam gratitudinem, ô Deus meus, & omnia! G6 Be-

Benedicant etiam te millies cum S. Angelo meo Custode, omnes Angelici Chori, qui throno tuo adstantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

Et omnes Sancti suis laudibus (quas in usu hujus Sacramenti obtulerunt, & nunc offerunt) compensent, precor, meam insufficientiam.

Exopto, ut omnes creaturæ, quas tres pueri in fornace illæsi invitârunt, omni & perenni affectu laudent te DEVM, intrà me habitantem, per quem ab æterno incendio liberatus sum.

Magnus es Domine, & laudabilis nimis. Desidero omnes vitæ meæ respiratio-

nes

nes tibi eas esse laudes, & gratiarum actiones, quas omnes tibi Cœlites æternùm offerunt.

Oblatio.

Liberalissime Deus, qui te mihi in cruce obtulisti, & in Eùcharistia jã dedisti: me etiam tibi totum offero.

Renovo, & confirmo vota mea, & omnia tibi serviendi desideria.

Atque, ut divinissimas Epulas non sinè symbola sumpserim, meam adhuc hodie sensualitatem, & amorem proprium in aliquo vincam; ut oblatus DEO sim acceptior.

Nihil mundanum dein-

ceps & vanum recipiet cor meum, in quo, mi DEVS, habitas.

Quis Deum è calice ejiciat, ut fimum includat? hoc agerem, si in animam reciperem peccatum, quod Deo est summè contrarium.

Quidquid est erga me & creaturas affectûs, in te solum transfero.

Habeto clavim cordis mei, ut ingrediaris & disponas pro tuo arbitrio plenus illius Dominus.

Resigno me juxta tuum arbitrium ad vitam, vel mortem.

Et quid magnum est, quòd in manus Salvatoris mei amantissimi me committam;

qui

qui se in carnificum rabiem pro me obtulit; & pro vita mea mortuus est: quod majus est, quàm si Rex necem subiret, nè musca mactaretur.

Quæ commutatio, quòd pro Domino servum, pro DEO reddam me hominem peccatorem?

Dilectissimum proinde tibi tuum, & Virginis Filium mihi intimè unitum terræ, cœlique thesaurum, & velut rem meam offero, Pater clementissime; ut in eo tibi perfectè complaceas.

Petitio.

O Clementissime DEUS! nè projicias me à facie tua, pro cujus salute te ab-

abjecisti; & cui te in alimoniam dedisti.

Parce, Pater amantissime, parce filio prodigo.

Da veniam omnium delictorum meorum, per pretiosissimum Filii tui sangvinem, per vulnera, per omnia ejus merita precor. Hæ sunt divitiæ, quas tibi offero in satisfactionem meorum debitorum.

Da, ut divinâ præsentiâ tuâ liberer ab omni prorsus peccato, & replear donis gratiæ tuæ.

Da gratiam emendandi omnes etiam minimos defectus, maximè hunc, contra quam examen particulare facio. Vides, quem sim fragilis!

gilis! Ego quidem lapsum cavere propono, sed tamen labor. Suppone manum tuam Domine.

Da, ut è rebus terrenis me expediam; fræna inordinatos affectus meos.

Da, ut mihi moriar: & tibi soli vivam.

Eripe me de inimicis meis. Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me. Do tibi, ô! Domine, omnem illam laudem, quam in æternum dare potuissent infames illi spiritus, qui me, meos, tùmque mundum oppugnârunt, & sunt oppugnaturi.

Da gratiam ordinaria opera perfectiùs peragendi, maximè

ximè hoc N. Cupio tibi ſervire deinceps in juſtitia, & ſanctitate.

Da auxilium perfectè ſervandi vota, proficiendi in virtutibus vocatione mea dignis.

Robora memoriam, intellectúmque juxta muneris mei exigentiam illumina, & voluntatem tui amore inflamma.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Cohibe, per potum felleum, omnem concupiſcentiam.

O humilis Jeſu, qui te ad ſpecies panis, & vini demittis, & à multis indignè tractaris; qui etiam ad me indi-

gni-

gnissimum venisti: da mihi humilitatem per omnem tuam demissionem.

O Domine, qui in horto sangvineo cum sudore orâsti; fac, ut laudem te ex toto corde. Nê dormitet anima mea in tuo cultu & servitio.

O JESV patientissime, per alapas, flagella & per innumeras, quas pro me perpessus es injurias, te obtestor: da mihi patientiam, & mansvetudinem.

O mi Salvator: concede mihi, quod deest ad felicem mortem; cui tam vicinus sum, ut hodie evenire possit.

Per tuum agonem, & tres in cruce horas, miserere me

in illo mortis articulo, à quo pendet æternitas.

Pone etiam inter juſtitiam tuam, & peccatricem animam meam, cùm ad tribunal tuum venerit, ſacratiſſimi ſangvinis tui pretium.

Denique ſis in omnibus mihi omnia: Dux in dubio, Magiſter in ſcientiis, virtus in tentationibus, Medicus in ægritudine, Solamen in anguſtiis, Clypeus in adverſitate, Salus in agone.

Per eandem charitatem, quâ dilexiſti mundum, miſerere omnium, pro quibus mori dignatus es. Applica Paſſionis tuæ uberrima merita iis, pro quibus orare ſoleo, ac teneor, juxta prio-

rem

rem, & hodiernam meam in- tentionem: omnibùſque aliis. Largire vitam beatam defunctis, in qua pleniùs, pro me etiam, te laudent, & ament: gratiam vivis: quâ tibi magìs placeant, per merita Beatæ Virginis tuæ Genitricis, & omnium Sanctorum. Quæ tibi tuis unita meritis offero, repræſentanda æterno Patri.

O Auguſta Virgo Mater! quæ dignè portâſti eum, quem nunc ſuſcepi: impetra illa, quæ Filius tuus vult, & ſcit mihi, meiſque optima. Impetra etiam veniam pro tepida tanti Hoſpitis ſuſceptione.

Denique, ô Sancte Tute-

laris

laris Angele! S. Josephe S. Ioannes, S. Ignati, S Xaveri, SS. Patroni, Divi hodierni, Sancti Menstrui, omnèsque Sancti & Sanctæ Dei, qui per mortalitatis pelagus ad portum æternæ felicitatis pervenistis, securi de vobis; de periclitantibus nobis, per vestra merita vos precor, estote soliciti. Impetrate precibus vestris, ut panis Eucharisticus sit mihi, meisque robur in infirmitatibus, periculisque animæ ac corporis, ut in fortitudine Cibi hujus ambulemus per mundi desertum usque ad montem Dei, & patriam cœlestem: ubi copia sinè defectu, satietas sinè ulla inter-
rupti-

ruptione, gloria sinè invidia, securitas sinè periculo, vita sinè morte, bonum omne sinè fine. Amen.

Ad extremum, ô amantissime Jesu, supplex te rogo, per virtutem sacratissimi corporis & sangvinis tui abstrahe cor meum totaliter ab amore hujus sæculi, & creaturarum omnium, quœ in me perfectum tui amorem, & fructum hujus Sacramenti impediunt; mèque tibi intimè unias, atque incorpores, ut unus tecum efficiar Spiritus; ut tu in me, & ego in te, maneam in æternum, ô Vita animæ meæ! ô Deus meus! ô omne bonum meum! Amen.

Bre-

BREVIORES Affectus
Ante S. Communionem fructuosè eliciendi.

O Mi JESV! Agnus Dei!
JESV miserere mei,
Peccatoris maximi!
Dolet meum cor malignum,
Quòd te Deũ tam benignũ,
Vel semel offenderim.
Nolo, nolo jam peccare,
Sed te, mi JESV, amare
Volo totis viribus.

Ad Domine non sum dignus, *potes sic orare:*

Non sũ dignus, nõ sũ dignus
Vt tu DEVS tam benignus
Cordis mei Hospes sis.
Non sũ dignus, sed te tamen
Cordis unicum solamen,
Mi JESV desidero!

Veni

Veni JESV, & dignare
Peccatorem ſatiare
Corpore, & ſangvine.
In ipſa S. Communione.
Jam, quod quæſivi, video.
Quod concupivi, teneo,
Amore JESV langveo,
Et corde totus ardeo.
Degluti mox Hoſtiam, & dic:
Affectu MARIÆ Matris,
Et JOSEPHI tui Patris,
Te JESV ſuſcipio.
Omnes actus Angelorum,
Omnes affectus Sanctorum,
Tibi JESV offero.
Deinde poſtquam deglutiviſti.
Infrà cor meum te pono,
Mèque tibi totum dono,
Sim tuus, & tu meus.
Sis mi JESV, benedictus,
Iterûmque benedictus,

Sis mi JESV millies.
Quôd sis factus cibus, potu
Imò quòd sis meus totus,
Sub hac panis specie.
In te credo, in te spero,
Amo te corde sincero,
Amo, amo, amo te,
Me ad tuos sterno pedes,
Vulnerum adoro sedes,
Latus tuum osculor.
Quidquid vis, hoc ego vol
Quidquid non vis, ego nol
Tibi me subjicio.
Quoquò vis, eò me voca,
Et in illo statu loca,
In quo tibi placeam.
Moribus fac sim maturus,
Corde, sensibúsque purus,
Simultatis nescius.
Humilis, pauper, pudicus,
Voluptatum inimicus,

Pati

Patiens, & candidus.
Quidquid loquar, cogitabo,
Agam, patiar, amabo
Te DEVS in omnibus.

Affectus S. Ignatij

ANima Christi sanctifica
me, (me,
Corpus Christi salva
Sangvis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me,
O bone JESV exaudi me,
Intrà vulnera tua absconde
me, (te,
Nè permittas me separari à
Ab hoste maligno defende
me,
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Vt cũ Sanctis tuis laudem te,
In sæcula sæculorũ, Amen.

Affectus S. Xaverij.

O Deus! ego amo te;
Nec amo te, ut salves
me,
Aut, quia non amantes te
Æterno punis igne.
Tu, tu mi JESV totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam,
Multàmque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores, (me,
Ac mortem; & hæc propter
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te?
O JESV amantissime!
Non ut in cœlo salves me,
Aut nè æternùm damnes me,
Nec prœmii ullius spe;
Sed sicut tu amâsti me,
Sic

Sic amo, & amabo te,
Solùm quia Rex meus es,
Et ſolùm quia Deus es.

Affectus S. Thomæ Aquinatis.

ADoro te devotè, latens
Deitas, (latitas;
Quæ ſub his figuris verè
Tibi ſe cor meum totũ ſubijcit,
Quia te contemplans totum deficit.
Viſus, guſtus, tactus, in te fallitur: (ditur.
Sed auditu ſolo tutò cre-
Credo, quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo veritatis veriùs.
In cruce latebat ſola Deitas,
Sed hìc latet ſimul & humanitas:

Ambo tamen credens, atque
confitens,
Peto, quod petivit latro
pœnitens.
Plagas, ſicut Thomas, non
intueor;
DEVM tamen meum te
confiteor.
Fac me tibi ſemper magìs
credere!
In te ſpem habere, te dí-
ligere. (ni,
O memoriale mortis Domi-
Panis vivus, vitam præ-
ſtans homini;
Præſta meæ menti de te vi-
vere, (pere.
Et te illi ſemper dulcé ſa-
Pie Pelicane, Jeſu Domine,
Me immundum munda tuo
ſangvine:
Cu-

Cujus una ſtilla ſalvũ facere
Totum mundum quit ab
omni ſcelere.
JESV, quem velatum nunc
aſpicio, (ſitio,
Oro, fiat illud, quod tam
Vt te revelatâ cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ glo-
riæ. Amen.

Affectus S. *Auguſtini.*

DOmine JESV, noverim
te, noverim me,
Nec aliquid cupiam,
nisì te,
Vt Oderim me, & amem te.
Quidquid amẽ, ſit propter te.
Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem, nisì te. (te.
Mortificem me, & vivam in
Quæcunque eveniunt, acci-
piam à te.

Persequar me, sequar te,
Sempêrque optem sequi te:
Fugiam me, confugiam ad te.
Dignus sim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te.
Sìmque de electis à te.
Diffidam mihi, confidã in te.
Obedire velim propter te.
In nullo afficiar, nisi in te:
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te,
Et in æternum potiar te.

ORATIO

Ad Christum Crucifixum pro felici morte.

AD te Domine JESV Christe, Fili Dei vivi, Deus cordis mei! ad te clamo, & suspiro, indignissimus famulus tuus, pro quo non

non dubitâſti manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum: A Tua immenſa bonitate & clementia, per ſanctiſſima illa quinque vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri amor inflixit, per acerbiſſimos dolores tuos, per ſanctiſſimam paſſionem, & mortem tuam, & præſertim per amaritudinem illam, quã ſuſtinuiſti in Cruce, dum benedicta anima tua de ſanctiſſimo corpore tuo egrediebatur, peto ſuppliciter: miſerere in egreſſu ſuo, afflictæ animæ meæ, quam pretioſo ſangvine redemiſti; Dic Patri tuo pro me moriente: *Pater dimitte illi.* Dic Matri tuæ: *Ecce filius tuus.*

Dic animæ meæ: *Hodie mecum eris in paradiso.* DEVS DEVS meus nè derelinquas me! ſitio ad te fontem ſalutis. Conſummatur tempus vitæ meæ: Da mihi, illud unicum, & ſummè neceſſarium, piè curſum conſummare, bene mori, & requieſcere in pace. In manus tuas commendo ſpiritum meum, qui es ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus; cui ſit laus, honor, & gratiarum actio, per infinita ſæcula, A.

Alia

Ad B. V. Mariam & Sanctos

O Piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater Jeſu, Regina

gina Martyrum Maria, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESV Crucifixo peculiariter devotæ, Vos ego, per ardentiſſimum veſtrum erga Jeſum Crucifixum amorem oro, & obteſtor: impetrate mihi verum omnis omnino peccati horrorem, ſincerum Crucifixi JESV amorem, vitam verè DEO placentem, mortem ſanctam, & beatam æternitatem, Amen.

FINIS.

BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026856